

a, 45 cod.

42. Innocentius natione Albanensis ex patre Innocentio sedit a. 15 m. 2. d. 20, sepultus in cimiterio adversum Pileatum. Hic constituit de christiano renasci per baptismum et sabbato ieiunium celebrari, quia Domino in sepulchroposito discipuli ieiunaverunt.
43. Zosimus natione Picens ex patre Abraimo presbytero sedit a. 1 m. 3 d. 25, sepultus est via Tiburtina iuxta corpus beati Laurentii. Hic constituit diaconos levas rectas habere de palliis lino stinis et per parrochias concessa licentia cereum benedici et nullum clericum poculum in publico propinare nisi tantum in cella fidelium maxime clericorum.
44. Bonifacius primus natione Romanus ex patre Iocundo presbytero sedit a. 3 m. 8 d. 13, fuit tempore Honorii et sepultus est via Salaria iuxta corpus beate Felicitatis. Hic constituit, ut nulla mulier aut monacha pallium sacramentum contingeret aut lavaret aut in censum poneret in ecclesia nisi minister, nec servum clericum fieri nec obnoxium curis vel cuiuslibet rei.
45. Celestinus natione Romanus ex patre Prisco sedit a. 8 m. 1 d. 9, sepultus in cimiterio Priscille via Salaria. Hic constituit, ut psalmi David 150 ante sacrificium musico sono psallerentur antiphonatum ex omnibus, quod ante non fiebat, sed tantum epistole Pauli apostoli recitabantur et secundum evangelium.
46. Sixtus tertius natione Romanus ex patre Sixto sedit a. 8 d. 19, fuit tempore Valentiani augusti et sepultus est via Tiburtina in cripta iuxta corpus beati Laurentii.
47. Leo primus natione Tuscus ex patre Quintiano sedit a. 21. m. 1. d. 28, fuit tempore Marciani et Leonis, sepultus est apud beatum Petrum apostolum. Hic scripsit ad Marcianum epistolam, ad Leonem 13, ad Flavianum episcopum 8, ad episcopos per orientem 18, confirmans synodum Calcedonensem, que illo tempore facta duas naturas in Christo contra Euthicem et Nestorium defendit.
48. Hilarius natione Sardus ex patre Prisco sedit a. 6 m. d. 10, sepultus est ad sanctum Laurentium in cripta iuxta corpus beati Sixti episcopi. Hic missis per orientem episcopis confirmavit 3 synodos Niceam, Ephesinam et Calcedonensem, thronum quoque Leonis episcopi.
49. Simplicius natione Tiburtinus ex patre Castino sedit a. 15 m. 1 d. 6, sepultus est in basilica beati Petri apostoli.
50. Felix tertius natione Romanus ex patre Felice presbytero sedit a. 8 m. 11 d. 19, fuit tempore Zenonis et sepultus est in basilica beati Petri apostoli. Hic condemnavit Petrum Alexandricum et Acacium Constantinopolim episcopos Euthicianistas.
51. Gelasius natione Afer ex patre Valerio sedit a. 4 m. 8 d. 9, fuit tempore Theoderici regis et Zenonis augusti et sepultus est in basilica beati Petri apostoli. Hic fecit tractatus et ymnos sicut Ambrosius et librum contra Euthicem et Nestorium.
52. Anastasius secundus natione Romanus ex patre Petro sedit a. 1 m. 11 d. 24, fuit tempore Theoderici regis et sepultus est in basilica beati Petri apostoli.
53. Simmachus natione Sardus ex patre Fortunato sedit a. 15 m. 7 d. 29, fuit tempore Anastasii augusti et sepultus est in basilica beati Petri apostoli. Hic constituit, ut omni die dominico vel natalis eius martyrum Gloria in excelsis ymnus diceretur.
54. Hormisdas natione Campanus ex patre Iusto sedit a. 14 d. 16 fuit temporibus Anastasii et Iustini, sepultus est in basilica beati Petri apostoli. Huius nuntios Constantinopolim pro fide missos Anastasius reiecit et statim fulmine perit, secundo hi missi gratanter sunt a Iustino suscepti.
55. Iohannes primus natione Romanus ex patre Constantio sedit a. 2 m. 9 d. 16, fuit temporibus Iustini et Theoderici regis Arriani, a quo etiam cum senatoribus quibusdam in carcere necatus est, eo quod de Constantinopoli venientes ad Iustinopolim, ut puto catholici sint ab eo benigne suscepti. Cuius corpus de Ravenna translatum in basilica beati Petri sepultus est.
56. Felix quartus natione Sabinus ex patre Castorio sedit a. 4 m. 2 d. 16, fuit tempore Athalarici regis et Iustini augusti, sepultusque in basilica beati Petri apostoli.
57. Mercurius, qui et Iohannes secundus natione Tuscus ex patre Proiecto sedit a. 2 m. 4 d. 6, fuit tempore Athalarici regis et Iustiniani augusti, qui fidem suam catholicam scripto cyrographo misit ad sedem apostolicam per Hyapium et Demetrium episcopos sepultusque est in basilica beati Petri apostoli.
58. Agapitus primus natione Romanus ex patre Jordiano sedit m. 11 d. 18, fuit tempore Iustiniani, atque post Theodato rege Gothorum ad intercedendum missus eo quod filiam Theoderici regis sibi commendatam occidisset, tam gloriosissime susceptus est, ut in locum Anathemici heretici Menam Constantinopolim faceret episcopum et post dies paucos obiit in loculo plumbeo delatus Romam et in basilica beati Petri apostoli sepultus est.
59. Silverius natione Campanus ex patre Hormisdas sedit m. 6 d. 11, fuit tempore Iustiniani et ab augusta relegatus in exilium ad Pontias, eo quod nolisset Anathemum revocare in officium, confessor obiit, ibique sepultus est.
60. Vigilius natione Romanus ex patre Iohanne sedit a. 16 m. 6 d. 25, fuit tempore Iustini

nia
cus
62
63
seli
64
min
65
augu
secul
66
Maur
Auit
pred
ne
67
68
pult
69
Phoe
nope
sup
70
71
est a
non
bapt
72
imp
letan
ren
73
est
74
ad b
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90